

quit Sacerdos in mortis articulo suum complicem absolvere. Ita expressè disponitur in Bulla declaratoria Apostolici muneris, quia ut ibi dicitur: *Tunc alium Sacerdotem proinde haberi, censerique posse, ac si revera abesset, atque deficeret.* Sed notandum quod Sacerdos complex sub gravi tenetur hujusmodi *procurata, quantum in se potest, antevertere, vel remove* oportunitis adhibitis mediis unde fiat, ut alteri cuius Sacerdoti locus pateat illius confessionis absque illius infamia, vel scandalo audiendæ. Sic etiam decernitur in prædicta Constitutione.

466 \* Consequentè ad hæc resolves I. Quod si alius Sacerdos vocatus accedere nolit, vel si præsens excipere confessionem recuset, tunc valebit Sacerdos complex confessionem excipere, & absolvere. Quia etiam in hoc casu alius Sacerdos perindè se habet, quasi non esset.

467 \* Resolves II. Quod si cum Sacerdote complice sit alius Sacerdos, & poenitens palàm profiteatur, se cum quolibet eorum velle confiteri, tunc complex libertatem poenitentis in articulo mortis, quantum ad electionem Sacerdotis ponderando, debet alteri Sacerdoti deferre, & electionem poenitentis ad ipsum determinare, quo consentiente, minimè poterit complex illius confessionem audire. Si autem alter Sacerdos confessionem audire re-

cusset, tunc distinguendum est, nam vel Sacerdos complex est Parochus, & aliundè ordinarius, & habitualis poenitentis Confessor vel non? Si primum, (supposito quod complex non possit urbanè instantiam alterius Sacerdotis declinare) poterit complex confessionem illius poenitentis audire propter periculum certo moralitè suborituræ infamiæ apud circumstantes videntes Confessarium usque adhuc poenitentem hunc audire solitum, nunc in casu majoris urgentiæ confessionem obfirmatè renuentem: quæ renuentia in illis circumstantiis gravem generabit suspicionem alicujus complicitatis, præsertim apud scientes præsentem dispositionem.

468 \* Si verò Sacerdos complex fuerit tantum delegatus, nec aliundè confessiones illius poenitentis audire solitus, debet gravius cum altero Sacerdote etiam simplici insistere, & monere ut ipsemet confessionem audiat; nec tandem poterit ipse complex confessionem excipere, usquedùm alter Sacerdos absolutè recuset, vel eo res deveniat ut ex complicitis iterata resistentia gravis aliqua apud circumstantes sit exortura infamia: quæ facilius exortur in concursu Sacerdotis simplicis, quam in concursu Sacerdotis approbati. Sed totum hoc prudentiæ relinquitur, quæ nisi passione obnubiletur, facile sug-

ge-

geret, quid sit faciendum in emergentibus circumstantiis.

469 \* Dicta procedunt quando poenitens palàm, & publicè profitetur quod ipse cum altero ex illis duobus Sacerdotibus libenter confitebitur. Nam, si soli sint, in hoc casu duo illi Sacerdotes, & ægrotus; tum judico Sacerdotem complicem, etiam cum periculo gravis suspicionis, & infamiæ apud alterum Sacerdotem, tamen si simplicem, insistere debere ut ipse confessionem excipiat, quia infamia illa, si quæ tunc casus adest, est intrinsecum gravamen culpæ complicitis, qui non habet jus ut peccatum suum in illis circumstantiis celetur alteri Sacerdoti: aliter enim etiam poterit confessionem audire propter solum periculum diffamationis apud alterum Confessarium, quod nemo dicet.

470 \* Resolves III. non satis esse, quod complex merè passivè se habeat in adhibendo opportuna remedia ad obviandam infamiam, vel scandalum, sed positivâ & seriâ ad hoc indiget diligentia, quam si omiserit, reus erit gravis inobedienciæ erga præfatam Constitutionem.

471 \* Sed quæres: *Quæ remedia adhiberi possint in praxi ad satisfaciendum huic obligationi?* Respondeo, quod adhiberi possunt sequentia. I. Confessarius postquam peccatum commissit, moneatur personam complicem, se mi-

Tomo I.

nimè posse, etiam in articulo mortis, absolutionem illius peccati impendere, ac proindè ut quamprimum curet peccatum illud cum altero Confessario confiteri. II. Si loci penuria id exigat, curet de alio Confessario decenti prætextu provideri, si facilitas adsit, imò ad id fortè tenebitur Parochus, ait Sanz, si Parochus ipse fuerit complex.

472 \* III. Si accedente jam mortis periculo ad audiendam confessionem complicitis evocatur, debet absque mendacio occupationem, vel indispositionem prætexere, interim monendo, ut alter Confessarius evocetur. IV. Si hæc praticari nequeant, ad domum poenitentis poterit accedere, & si necessitas confessionis non nimis urget (semper est cavendum, ne poenitens sine confessione decedat), complicem moneat ut alterum eligat Confessarium, dicendo, ut adstantes eludat, se pro tunc non esse in dispositione confitendi, quod Confessarius poterit confirmare, ponderando impedimenta morbi, & simul difficultatem, quam ipse patitur, ut iterum congruo tempore accedat.

473 \* Denique. Si in loco non adsit alius Sacerdos, vel de facili vocari non possit, nec dicta, vel his similia sufficiant ut alteri Sacerdoti locus pateat absque infamia, vel scandalo, aut omitteudæ absolutionis periculo, tunc Confessarius complex confessionem

Xx

nem

nem audiatur, & poenitentem absolvat.

474 \* Dico III. si in dicto mortis articulo Sacerdos complex absque aliqua gravi necessitate se ingerit, vel si gravis timetur infamia, de industria negligit adhibere media congrua ad hoc periculum præcavendum, tunc absolutio complicis ab ipso præstita valida erit, & directa, etiam quoad peccatum ipsum complicis, dummodo adsint reliqua essentialia requisita, ipse vero gravissimè peccavit, & proinde poenas latas in prædictis Constitutionibus incurret. Ita constat expressè ex Const. *Apostolici muneris*.

475 \* Ex hac resolutione sequitur. I. Quod peccatum complicitatis in isto casu manebit directè absolutum, quia complex in illo, & pro illo articulo non est jurisdictione privatus. Unde jam non tenebitur peccatum illud cum altero confiteri.

476 \* Sequitur II. Quod si Sacerdos ad avertendum infamie periculum aliqua media ponat, frigidè tamen, & ex intentione ut eo res deveniat, ut ipse tandem vera necessitate compulsus ad impertiendam absolutionem accedat; tunc gravissimè peccabit, & poenas in Constitutione præsentis latas coram Deo non effugiet. Quia Sacerdos in hoc casu de industria congruas diligentias omisit & fraudulenter

processit: fraus autem, & dolus nemini suffragari debent. Si vero omisso congruè diligentia non fuerit ita fraudulenta, sed unice oriunda ex inopia consilii,urbatione &c.; tunc poenas latas non incurrit, quia non neglexit de industria; & hæc circumstantia requiritur in secunda Bulla ad prædictas poenas incurrendas.

477 \* Sequitur III. Quod nec poenas incurrit, si diligentias culpabiliter omisit, & tandem suum complicem sacramentaliter non audivit, nec absolvit; quia in Bulla *Apostolici muneris* utrumque requiritur copulativè (omissio mediæ, & confessionis auditio) ad prædictas poenas incurrendas, ut patet ex particula *Atque ita*, quæ subsequitur ad illa verba de industria neglexerit.

478 \* Unde colliges, quod si Confessarius aliquis primo debitas adhibere diligentias dolosè, & de industria neglexit, si postmodum illius omissionis sit verè poenitens, & jam inexcusabiliter periculum infamie vel scandali certò certius immineat; tunc poenas latas non incurrit, quamvis absolutionem impendat. Non incurrit tempore negligentia, ut probabimus: nec incurrit tempore impertite absolutionis: quia cum supponatur prioris negligentia verè poenitens, jam non absolvit ex dolo, nec præsumptuosè, ut in Bulla requiritur, sed ex motivo necessitatis. Accedit, quod

in hoc casu jam cessavit contumacia ad incurrendas censuras omnino requisita.

479 \* Sequitur denique, quod si Sacerdos complex ex inconsideratione, & ignorantia &c. judicaret, hic & nunc, casum urgentis qualitatis emergere, in quo ipse possit suum complicem in articulo mortis constitutum absolute; etiamsi in tali judicio falleretur, & talis ignorantia esset culpabilis, & vincibilis, dum tamen non esset dolosa, & affectata, si cum tali, inquam, judicio absolveret, licet peccaret mortaliter, censuras latas non incurret: quia Confessarius in hoc casu non absolveret præsumptuosè: Ecclesia autem in hoc casu periculi mortis solummodo præsumptuosam absolutionem punit; ut patet ex verbis illis: *Absolutionem largiri: præsumperit, quæ habentur in secunda Bulla.*

§. III. *Resolvuntur quidam difficiliiores casus.*

480 \* Quæres I. puella nobilis, & pudibunda nimis quæ rem habuit cum Confessario, ita obfirmatè renuit peccatum illud alteri Confessario confiteri, ut firmiter

protestetur se in æternum mansuram inconfessam nisi confiteatur cum Confessario suo complice, & ita re ipsa permansit per plurimos annos cum præsentem æternæ damnationis periculo. Quid faciendum?

481 \* In hac difficultate certum est quod si poenitens sit in articulo mortis non erit invalida absolutio, si fortè à complice, impertiatur, ex defectu jurisdictionis, etiam dato, quod complex dolosè procederet, & in conspectu alterius Sacerdotis physice & moraliter præsentis. Ita Sanz, & patet ex sæpius cit. Bulla declaratoria, his verbis: *Non intendimus autem pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti (complici), quantumvis indigno, necessariam jurisdictionem auferre, ne hac ipsa occasione aliquis pereat.* Quæ cum aded sint clara, nescio quò jure Ezquer, cap. 2. & Salmant. (a) dixerint complicem in conspectu alterius Sacerdotis carere jurisdictione ad absolvendum suum complicem in articulo mortis constitutum.

482 \* Certum est III. Quod si prædicta mulier in prædicto mortis articulo, & coram pluribus peteret determinatè, & instantè confiteri cum suo complice, tum potest iste accedere, imò & licitè absolvere pro parte suâ,

protestetur se in æternum mansuram inconfessam nisi confiteatur cum Confessario suo complice, & ita re ipsa permansit per plurimos annos cum præsentem æternæ damnationis periculo. Quid faciendum?

481 \* In hac difficultate certum est quod si poenitens sit in articulo mortis non erit invalida absolutio, si fortè à complice, impertiatur, ex defectu jurisdictionis, etiam dato, quod complex dolosè procederet, & in conspectu alterius Sacerdotis physice & moraliter præsentis. Ita Sanz, & patet ex sæpius cit. Bulla declaratoria, his verbis: *Non intendimus autem pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti (complici), quantumvis indigno, necessariam jurisdictionem auferre, ne hac ipsa occasione aliquis pereat.* Quæ cum aded sint clara, nescio quò jure Ezquer, cap. 2. & Salmant. (a) dixerint complicem in conspectu alterius Sacerdotis carere jurisdictione ad absolvendum suum complicem in articulo mortis constitutum.

482 \* Certum est III. Quod si prædicta mulier in prædicto mortis articulo, & coram pluribus peteret determinatè, & instantè confiteri cum suo complice, tum potest iste accedere, imò & licitè absolvere pro parte suâ,

(a) In Append. tract. 6. núm. 259.

nisi forte indispositio poenitentis obstat: quia sub his circumstantiis, sumus in periculo moraliter certo suborturae infamiae, vel scandali, & recurrunt dicta in praecedentibus. Ita Diaz Bravo.

483 \* Certum est III. Quod si poenitens renuerit alteri Confessario confiteri ex motivo inobedientiae quatenus nimirum non vult se subicere praesenti dispositioni Pontificiae, tunc utpote indisposita, non posset, nec valide, nec licite absolvi ex defectu doloris, adhuc in mortis articulo: in quo casu dicunt Larraga & Ezquerro, quod si poenitens sic inabsoluta sensibus destituatur, poterit absolvi a complice saltem sub conditione, *si apponit verum dolorem*; quia in illo agone potest praesumi praecedentem malam voluntatem retractasse. Difficultas solum remanet de poenitente, quae vellet utique praesenti Constitutioni obedire, sed passione verecundiae pressa, ad confitendum cum alio non resolvitur.

484 \* Resp. I. Si talis poenitens sit extra mortis articulum constituta, debet fortiter & suaviter de suo periculo, & ut resipiscat, moneri; minime vero per suum complicem, nec audiri sacramentaliter, nec absolvi. I. Quia casus verecundiae in praedicta Constitutione comprehenditur,

ut patet ex declaratione cit. Sacr. Poenit. ad 3. II. Quia complex in hac hypothesis caret jurisdictione. Unde solum posset haec poenitens per suum complicem absolvi, recurrendo Romam, & facultate impetrata a Sum. Pontifice, qui forte licentiam absolvendi concederet. Ut sibi in simili ab Innocentio XI. fuisse concessam, testatur Viva (a).

485 \* Resp. II. Si talis poenitens sit in articulo mortis constituta hoc opus, hic labor est. Aliqui resolvunt absolute absolutionem fore denegandam: sed judico in casu, prout jam proponitur mitius posse procedi; quia ut dicitur, Matth. 12. *Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet.* Unde videtur posse complicem citra dolum & fraudem, valide & licite absolutionem impertire, ne illa anima omnino desperata pereat. Quod intellige si verecundia sit adeo gravis ut animi passionem inducat.

486 \* Ratio mihi est; quia ex una parte Sacerdos complex in articulo mortis retinet jurisdictionem ad valide absolvendum, ut diximus, nec procedit cum dolo & praesumptuose, ut supponimus; ex alia parte obligatio quam habet poenitens ad aperientium suum peccatum alteri Confessario non est de jure naturae, nec positivo divino, sed de jure positivo ecclesiastico inducto per praesentem Constitutionem: leges autem ecclesiasticae utpote humanae, obligant humano modo, & non supra vires nec ad nimis arduum, ut concedunt omnes, & patet in lege jejunii, auditionis Sacri &c.

487 \* Unde sicut a lege jejunii deobligaretur, qui serio volens illam servare praenimia difficultate non posset, ita videtur hic & nunc a praesenti lege desobligata poenitens illa, quae serio desiderans cum alio confiteri ut supponimus, adeo passione verecundiae premitur, ut nimis arduum, imò, & moraliter impossibile hoc sibi videtur, nam si potest corporalis debilitas observantiam jejunii moraliter impossibilem reddere, quare non possit hoc idem passio animi, quae quandoque solet urgere vehementius, quam debilitas corporalis?

488 \* Nunc sic: in hac hypothesis, non obstante praesenti lege, potest praedicta mulier serium, & verum dolorem de suis peccatis habere; & hoc stante, jam nihil prohibet quominus per suum complicem possit valide & licite absolvi: ergo sicut potest valide & licite in casu periculi infamiae, quia lex utpote obligans humano modo, non intendit ad moraliter impossibile obligare; ita pariter discurren-

dem venit in proposito. 489 \* Deinde. Finis praesentis legis est removere omnem occasionem turpitudinis, Sacramentorum contemptum, & Ecclesiae injuriam submovere, atque periculis animarum occurrere; sed in praesenti casu cessat hic finis, non solum negative, sed etiam contrarie; quia si poenitens in hoc casu ab obligatione confitendi cum altero deobligatur, a desperatione cessavit, & forte salyabitur, sin minus desperata omnino morietur, & certissime condemnabitur: ergo potest poenitens absolvi per epikejam, seu benignam legis interpretationem, quam non dubito daturum esse Legislatorem ipsum, si casus consuleretur; praesertim cum magis intenderit sacrilegos Confessarios punire, quam fragiles poenitentes, ut patet ex contextu ejusdem Constitutionis.

490 \* Dices: ex hac nostrae doctrina sequitur, posse similiter complicem absolvi extra casum, & articulum mortis. Resp. negando sequelam, & paritatem. I. Quia extra articulum mortis deficit in Confessario jurisdicatio, ac proinde absolutio tunc casus est prohibita jure divino, imò, & naturali, quod vetat Sacramentum administrari sine requisitis essentialibus, qualis est jurisdicatio; & licet Ecclesia suppleat seu potius conferat jurisdictionem in casu extremae necessitatis, non

(a) Apud Ferraris, verb. *Solicitatio ad turp.* num 58.

judicatur extrema necessitas extra occasionem articuli mortis. In casu autem articuli mortis non deest jurisdictio, unde solum datur resistantia ex parte juris positivi, quod non obligat in tali casu, ut probavimus. Nec facit contra hoc declaratio Sac. Poenitent. citat. quia hæc loquitur absolute, & non venit intelligenda de casu necessitatis extremæ, & in articulo mortis; quia jurisdictio, quæ denegatur complici extra mortis articulum, conceditur articulo mortis instante, ut ex ipsamet Constitutione patet.

491 \* Sed interrogabis. Poenitens illa, quæ sic absoluta fuit, tenebitur, si convaluerit, peccatum illud complicitatis alteri confiteri? Resp. affirmative. Quia licet fuerit directè absoluta, debet habere propositum de parendo mandatis Ecclesiæ, non aliter ac absoluta in illo articulo à censuris reservatis. Unde complex absolvens debet poenitenti hoc onus imponere, monendo ut si convaluerit, curet passionem illam verecundiæ orationibus, & aliis mediis extenuare, ut tandem sui victrix cum alio confiteatur; quod si noluerit acquiescere, jam sumus in alio casu, & absolvi propter indispositionem non poterit.

492 \* Hæc dixisse satis sit super casu, qui licet raras, non adeo metaphysicus est quin aliquoties evenire possit in praxi: quia tamen, ut amicus monuit,

hujusmodi resolutionibus facile nonnulli abutuntur existimantes omnes easdem urgentiæ circumstantias hic & nunc concurrere, ubi revera aliquæ, vel omnes desunt; ne videas semitam aliquam vel minimam ad eludendam gravissimam constitutionem aperuisse: iterum repetere cogor meam resolutionem in ea dumtaxat hypothese procedere, quod fiat *citra dolum, & fraudem*, quod verecundia illa *jam in passionem animi degeneravit*, quod poenitens non obstante illa sua antecedenti renitentia prudentur credatur *serio hic & nunc poenituisse*.

493 \* Item: simul declaro paritatem aliarum legum ecclesiasticarum à me supra inductam non sic accipiendam, quasi quælibet necessitas, quæ ad deobligandum à lege ecclesiast. sufficiens habetur, hic sufficeret; sed per locum à *minoribus* assumptam esse. Ne autem complex in causa propria, ut multoties accedit, sese in facti contingentiâ decipiat, nunc addo, eum procedere debere non suæ prudentiæ innixum, sed præmissa viri prudentis consultatione, & eum veridica omnium circumstantiarum citra sigilli sacramentalis revelationem relatione.

494 \* Quæres II. Quid debeat facere Confessarius postquam bona fide suum complicem incognitum absolvit? Suppono, quod si Confessarius in confessionali

sedens videat suum complicem accedentem, debet illum à confessione repellere: & si aliter congruè non possit, aliquo decenti prætextu surgere. Si cognoscat suum esse complicem in confessionis progressu, debet statim à confessione cessare, & poenitentem pro integra confessione ad alterum Confessarium remittere. Difficultas est, si complicem agnovit postquam absolutionem impertivit, supposito etiam, ut supponi debet, quod adfuerit bona fides tam ex parte ipsius quàm ex parte poenitentis.

495 \* Resp. Quod in hac casus specie aliqui dicunt, quod si poenitens cum peccato complicitatis apposuerit aliam materiam, tunc valida erit absolutio, quamvis per illam peccatum complicitatis solummodo fuerit indirectè remissum, & proinde sub onere ipsum aperiendi alteri Confessario. Ita Salmantic. in Append. Acedo, Ezquerro, & problematice Diaz Bravo. Sed verius judico cum Larraga & Fidele del Valle, quod licet bona fides ipsos à peccato excusaverit, absolutio tamen fuit irrita, & nulla, etiam si poenitens apposuerit simul aliam materiam: & hoc idem venit dicendum, si absolutio impertiatur cum ignorantia invincibili præsentis Constitutionis.

496 \* Ratio: quia nec bona fides, nec ignorantia legis irritantis sunt sufficientes ad con-

validandum actum per legem ipsam irritatum, ut patet in ignorantia impedimenti dirimentis matrimonium, quæ non sufficit ad convalidandum matrimonium cum illa contractum. Deinde error ille, qui tunc casus intercedit, est error particularis; error autem particularis non sufficit ad acquirendam jurisdictionem. Porro constat ex dictis, quod præsens inhibitiō non est reservatio, sed negatio totius jurisdictionis, & illius Confessoris positiva reprobatio: per quod patet ad fundamentum oppositæ sententiæ.

497 \* Ex nostra resolutione sequitur, quod Confessarius detecto errore obtenta prius licentiâ ad loquendum de auditis in confessione, complicem poenitentem de nullitate confessionis monere deberet, ut apud alterum Confessarium rursus illam confessionem repetat. Si autem hoc sine gravi inconvenienti facere non valet, sufficit, ait Diaz, poenitentem in sua bona fide relinquere, & interim curare ut alteri confiteatur, ut peccata prius nulliter confessa, & jam bona fide prætermittantur. Similiter poenitens, detecto errore, debet confessionem apud alterum Confessarium repetere.

498 \* Quæres IV. Quid facere debeat Sacerdos quando dubitat, num hic poenitens sit necne suus complex? Supponitur,

debere prius debitas diligentias praticare ad dubium deponendum. Quo supposito, responderetur cum distinctione. Nam vel dubium illud emergit ante inceptam confessionem, vel post? Si dubium emergat post confessionem inceptam, tunc potest Sacerdos perficere confessionem, & absolvere. Ita Fidelis, Diaz & Ezquerrol. Prob. I. Quia poenitens, quia bona fide supponitur, confessione incepta habet jus ut ista perficiatur, & si sit dispositus, absolvatur: à jure autem certo nemo potest deturbari per superaccedens dubium. Quia confessio fuit incepta cum jurisdictione, & bona fide: causâ autem sic inceptâ, jurisdictio non amittitur. Si tamen postea, ipsum fuisse complicem certo detegatur, cum jurisdictio fuerit tantum existimata, debet confessio illa apud alium Confessarium repeti, ut in præcedenti casu.

499 \* Si autem dubium emergat ante confessionem inceptam, tunc decenti prætextu surgere debet, & confessionem non audire: quia Confessarius dubitans de sua complicitate, pariter dubitat de sua jurisdictione. Cum dubio autem jurisdictionis non potest Sacramentum hoc administrari. Unde non mihi probatur iudicium Fidelis del Valle existimantis, posse Confessarium audire confessionem complicis, de quo dubitat, an bene, vel male peccatum illud

complicitatis cum altero confessus fuerit? Quia peccatum complicitatis in hoc casu est dubium *dubium confessionis*: in casu autem dubii confessionis jam diximus supra, non posse Confessarium suum complicem absolvere. *§. IV. De poena complicis indebitè suum complicem absolventis.*

500 \* Sacerdos complex indebitè, & contra præscriptum præsentis Constitutionis suum complicem absolvens, ultra gravissimum sacrilegium quod committit; ipso facto incurrit excommunicationem majorem Sum. Pont. reservatam, quando extra articulum, vel periculum mortis suum complicem absolvit, & insuper in mortis articulo sequentibus in casibus. I. Si adsit alius Sacerdos etiam simplex, qui munus Confessarii obire possit. II. Si deficiente periculo infamiae, vel scandalii, ad absolvendum in dicto articulo se ingerat. III. Si infamiae, aut scandalii pericula, sibi ultrò confingat ubi non sunt. IV. Si de industria negligit præcavere scandalii & infamiae pericula, si consequenter ad talem dolosam negligentiam complicem absolvat.

501 \* Non incurrit tamen, si absolutionem impertivit citra præsumptionem & temeritatem, quia hoc requiritur ad hanc cen-

suram incurrendam, ut patet ex prima Bulla *Si quis Confessarius sacus facere ausus fuerit*. Et ex secunda *Absolutionem largiri præsumperit*. Unde non incurret præsentem censuram Confessarius ille, qui citra dolum, & affectationem absolvit cum ignorantia etiam vincibili hujus pœnæ: quia ubi præsumptio requiritur ad incurrendam pœnam, ignorantia vincibilis (dummodò non sit dolosa, & affectata) ab illa excusat, licet non à culpa.

502 \* Non incurrit II. quando extra confessionem absolvit suum complicem à censuris ratione Bullæ, vel alterius privilegii. Quia complex solum est positivè reprobatus per ordinem ad absolutionem sacramentalem sui complicis, non verò per ordinem ad absolutionem censuræ. Non incurrit III. quando gravi metu mortis adstrictus, complicem absolvit: quia talis absolutio non est præsumptuosa, sed meticulosa, quamvis extra casum articuli mortis ipsius poenitentis esset defectu jurisdictionis invalida, & sic absolvendo peccaret.

503 \* Non incurrit IV. quando absolveret complicem in peccato à luxuria distincto: quia Bulla solum loquitur de peccato complicitatis in materia turpi. Unde in vi præsentis dispositionis absolvens complicem in alia materia validè, & licitè procederet. *Dixi in vi præsentis dispositionis.*

quia per se loquendo, absolutio complicis in alia materia adhuc esset vitanda utpote valdè periculosa, imò in aliquibus Diocesisibus decernitur ut nulla. At præsens Constitutio nihil in hac parte disponit. Denique excommunicationem prædictam non incurret poenitens indebitè, imò, & nulliter absolutus à suo complice, licet gravissimè peccaret: quia talis censura solum est imposita contra Confessarios, non contra poenitentes, ut in ipsamet Constitutione patet.

504 \* Difficultas solum est, à quo poterit absolvi Confessarius ille, qui jam prædictam censuram Summ. Pontif. reservatam incurrit propter indebitam sui complicis absolutionem? In hac difficultate I. Certum est, quod in articulo mortis possit absolvi per quemlibet Sacerdotem: quia in articulo mortis nulla est reservatio. II. Conveniunt omnes, quod si talis excommunicatio fuerit occulta, poterit absolvi ab Episcopis per *cap. Liceat Episcopis*. Imò, etsi sit publica, si datur impossibilitas physica, vel moralis, Romam pro absolutione recurrendi. Quod totum etiam concedi debet de Provincialibus Regularium respectivè ad suos subditos, respectu quorum habent jurisdictionem quasi Episcopalem. Difficultas ergo solum remanet, an possit prædictus Confessarius absolvi virtute jubilæi, Bullæ

Cruciatæ, & privilegiorum Regularium?

505 \* Circa hanc difficultatem probabilis videtur posse complicem indebitè suum communicatione proinde incursa, absolvi virtute Bullæ Cruciatæ, aut universalis jubilæi, non tamen vi aliorum privilegiorum. Videatur dictus tract. 1. §. 9. per totum.

§. V.

Del lugar y tiempo para oír las confesiones.

506 \* Acerca de este punto se han tomado por nuestra Madre Iglesia varias medidas y disposiciones, que tendrán presentes los Confesores para el mayor decoro del ministerio santo, y cautelar todo riesgo. El santo Tribunal de la Inquisicion, por su Edicto que se promulgó en España año de 1712, tiene dispuesto lo siguiente: I. Que no se confiese en las celdas ni en otros lugares ocultos de las Parroquias ó Monasterios, así de Religiosos como de Religiosas &c., sino es que las confesiones solo se hagan en el cuerpo de las Iglesias, Sacristías, Claustros y Capillas públicas, estando sus puertas del todo abiertas. II. Que todas las mugeres precisamente se confiesen por las rejillas de los confesonarios, que estan ó caen

al cuerpo de la Iglesia, y no en las Capillas, Claustros ni Sacristías; mas se permite que estando las Capillas cerradas, y el Confesor sentado por parte de adentro, puedan confesarse las mugeres por la rejilla que cae á la parte de afuera, siendo puesta como se acostumbra para este efecto, y siendo distinta y mas densa que los balaustres ó rejas que suele haber en las Capillas. III. Quando los penitentes son sordos se permite que puedan los Confesores retirarse á algun lugar ó capilla distante del concurso para confesarlos, poniendo cancel con rejilla para las mugeres, y estando abiertas las puertas de los tales lugares ó capillas, y procurando que las que eligiesen sean las mas claras y manifiestas. IV. Se manda que los confesonarios de los claustros de algunos Conventos con rejilla á la Iglesia, estando de parte de adentro los Confesores, y los penitentes de parte de afuera, se cierren, quitando de ellos las rejillas ó ramos que tuviesen, lodándolos en un todo. Que los Confesores por ninguna causa ni pretexto, ni antes ni despues de la confesion téngan conversaciones con los penitentes.

507 \* Aquel lugar destinado únicamente para confesar los pecados y tratar los asuntos de conciencia, se profana en cierto modo empleándole en tratar de otras

508 \* otras cosas, aunque sean de suyo muy indiferentes y permitidas. Todas las cosas así como tienen sus tiempos, tambien tienen su lugar; y el tratar en el confesonario de cosas ajenas á su propio destino, nunca puede hacerse sin pervertir el debido orden, y con peligro de algun riesgo. Por esta causa la sagrada congregacion de Obispos y Regulares, hablando de las Monjas, las prohibió por mandato de Clemente XI. en 30 de Octubre de 1706, que usasen del confesonario en lugar del locutorio. La razon de este saludable decreto milita en los demas confesonarios, y de consiguiente esta prohibicion se entiende tambien á ellos: *Quia ubi eadem est ratio, eadem debet esse juris dispositio.* Sean pues todos los Confesores muy cautos en este punto: jamas permitan que en el sagrado puesto del confesonario se crucen mas palabras que las que dicen relacion ó conducencia para el negocio del alma, sin preferir ni admitir algunas otras, aunque sea con pretexto de urbanidad y cortesía. Los que son descuidados en esto se exponen á sí y á sus penitentes á gravísimos peligros, y deben ser privados de su oficio por los Superiores y Prelados.

508 \* Despues de los enunciados decretos, dice el P. M. Mas (a), que se excitáron algunas dificultades, sobre que fue consultado el Ilustrísimo Señor Inquisidor General Don Francisco Perez de Prado y Cuesta, á las que respondió su Ilustrísima en 16 de Setiembre de 1747, resolviendo los particulares siguientes: I. Que los confesonarios para confesar mugeres puedan permitirse, aunque sean dentro de las capillas, y no inmediatos á la nave de la Iglesia, teniendo su correspondiente rejilla, y siendo las capillas públicas y claras. II. Que los Regulares, concurriendo alguna causa ó impedimento, como la indisposicion de la salud en el penitente ó Confesor, ocupacion de uno ú otro, precision de tiempo, ú otras semejantes, puedan confesar á hombres, así Regulares, como Seculares, en las celdas, librería, y otras oficinas decentes, como sea á puerta abierta. III. Que en las casas particulares no se pueda oír de confesion á los Seculares, aunque sean hombres, sino en el caso de enfermedad, ó de algun impedimento considerable en el Confesor ó penitente. IV. Que pueden los Confesores en la Iglesia retirarse á algun lugar distante del confesonario á confesar á los

(a) En la Suma de Ferrer, tomo 1. núm. 420.